



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An, & quâ ratione præterea dissolvantur sponsalia ob supervenientem notabilem mutationem ex parte sponsi, vel sponsæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. IV.

An, & quâ ratione præterea dissolvantur sponsalia ob supervenientem notabilem mutationem ex parte sponsi, vel sponsæ?

SI notabilis mutatio, aut nova causa stationabilis, post contracta sponsalia superveniret, ob quæ notabiliter difficillor redditur status matrimonii, solvuntur sponsalia, prout habetur in c. *Quemadmodum* 25. *De iurejurando*, ita ut in utroque foro fides habeatur sponso, & sponsæ afferenti, se non contracturum fuisse sponsalia, si ab initio talis causa fuisset, modò ex circumstantiis verisimilis assertio hæc videatur: in specie autem enumerantur passim hæc mutationes, ob quas à sponsalibus resiliiri potest (nisi, post cognitam illam mutationem, copula haberetur, quo in casu cessentur juri suo ad resiliendum renuntiare) si notabilis superveniat deformitas, nates v. g. amittendo, aut oculum, &c. si morbo contagioso, vel incurabili, lepra v. g. morbo gallico, epilepsia, &c. alteruter inficiatur; si alteruter incurat gravem infamiam, aut detegatur corruptorum morum homo, ebrietati & luti deditus, &c. si sævitia viri detegatur; si gravem fortunatum etiam jacturam alteruter patiat; si dotem nolint, aut non possint dare parentes; si graves, & capitales inimicitie oriantur inter sponso, aut eorum parentes, vel consanguineos; si vagari incipiat sponso, &c. si superveniat impedimentum juris dicimens, &c.

SECTIO III.

De matrimonio secundum se, ejusque essentiam.

§. I.

Quid sit matrimonium, & quod duplex?

COMMUNITER ex jure definitur matrimonium, quod sit maris, & femina conjunctio, individuum vite consuetudinem retinens; sicuti tamen aliæ juris definitiones non sunt semper ad Dialecticæ regulas exactæ, sed multa subintelligi volunt, ita etiam hæc juris definitio; clariùs loquuntur, qui dicunt, *matrimonium esse contractum legitimum, & indissolubilem, quo vir & femina sibi mutuam tradunt & acceptant, corporis potestatem, per signa exterioris expressa in ordine ad prolis generationem*. Dividitur autem matrimonium in legitimum, ratum, & confirmatum. Legitimum dicitur illud, quod legitimo consensu, inter personas habiles, juxta leges contractum est, quale etiam inter infideles habetur; ratum est, quod legitimum (id est, juxta leges & SS. Canones inter personas habiles contractum est) & insuper Sacramentum est, nondum tamen carnali copulâ consummatum; quæ si intervenerit post matrimonium contractum, consummatum dicitur, perfectum, & completum.